Vladislaus IV

Poloniae Rex

Gnerski Joannis Prussia recuperata

PRVSSIA

Sereniss^{mi} ac Potentiss^{mi}

VLADISLAI IV.

POLONIARVM,

Succorum, Gotthorum, Vandalorum,

REGIS inuictiss.

MAGNI DVCIS LITHVANIÆ

&c. &c.

Felicitate, Prudentia, Æquitate,

RECVPERATA,

ET

In florentiss: Academiæ Cracouien. Lycæo,

A

M. IOANNE CYNERSKI *Rachtamouio,*

Coll. Min. Ordin. Eloquen. Profess.

DVM

Primâ in bonis artibus, & Philosophia laureâ, Candidatos ornaret, publica dissertatione, Die 12. Octob.

CELEBRATA.

CRACOVIÆ In Officina Francisci Cæsarij. (1635)

I N S T E M M A.



Præcipites Euros, tempeſtatesq́; ſonoras
Cymba potens ſupera, regnaq́; amæna pete;
Ecce fauet Pallas, fauet almo lumine Phœbus,
Vt ſerues ſolidas poſteritatis opes.
Nobile Muſarum vehis ingenium, atq́; Parentum
Delitium, Patriæ præſidiumq́; tuæ.

Petrus Białobrzeſki,
Stud. Eloquen

NOBILI, AC GENEROSO VIRO,

D. SIMONI STAROVOLSCIO,

Libertatis Polonæ, bonæq; Famæ, apud exteras Nationes, doctiſſimis ſcriptis Vindici, & aſſertori longè clariſſ.

M. IOANNES CYNERSKI Rachtamouius, Coll. Minor, Ord. Eloquentiæ Profeſſor S. & F.

DIſſertationem Tibi meam, de recuperata Pruſſia, quam in frequentiſſimo Lycæi Academici confluxu, Tu quoq; præſens audiuiſti, Vir Nobiliſſ. mitto: vt vel hoc leuidenſi munere, pro ſingularibus Tuis in me, veteribusq; beneficiis, in abſentem etiam, gratæ mentis ſignificationem & obſeruantiam teſter. Non poterat hæc præſenti Tibi, ob celerem in exteras nationes diſceſſum, Magnæ ſpei Iuuenis, ALEXANDRI *à Koniecpole* KONIECPOLSKI, *Illuſtriſſ: Caſtell; Cracouień. & Exercituum Regni Supremi DVCIS Filij, in prælo dari: ſed tamen eadem nullo fuco tincta, nullis verborum calamiſtris ornata, nullis dicendi phaleris ac lenociniis illuſtrata, Tibi ſe ſe offert; vt eundem in illa candorem, eandem illam extemporaneam, quam præſens excepiſti, agnoſcas ſimplicitatem. Ergo Te Deus Opt: Max: cum tanto Illuſtriſſ: Familiæ pignore, quod Tuæ fidei concreditum eſt, ſaluum & incolumem, per omnes vias, & itinera ducat. Interea nos, qui votis, illum lectiſſimum, ſuauiſſimumq; Iuuenem, hinc abeuntem, pijs etiam perfuſi lachrymis, proſecuti ſumus;*

pro absente, eidem Deo vigilantissimo Heroum Custodi, ferventissimas preces nostras offeremus, vt quàm prosperrima sanitate, in illis quas nunquam aspexit regionibus vtatur: vtq́ quàm felicissimis omnium bonarum artiũ instructus præsidiis, in Patriam redeat. In eo enim Illustriss: Parentes & Amici, Cognatique, singularem & eximiam spem generis ac solatij collocarunt. Congerat illinc raræ fortitudinis exempla, quæ hîc pressa per maiorum suæ Gentis, fortissimiq́ Parentis vestigia, nobis in luce Patriæ, inq́ rigido Martis campo probet & exhibeat: consilia prudentiss. Virorũ notet, contempletur nationũ genium, mores ingenuos inspiciat gentium, varietatem obseruet ingeniorum, cæterasq́ futuro Patriæ Ciue dignissimas virtutes, animo solerti, auidaq́ mente, vt hic apud nos solebat, concipiat, hauriatq́. Quanquam enim domi, magna & illustria, præsentia veteraq́ præstò habuerit exempla, quæ docili effingeret imitatione: tamen peregrina quoq́, nescio quo pacto, non generosæ modo indolis adolescentes, sed sapientes etiam viros commouent, & vel inuitos in sui rapiunt admirationem. Itaq́ magnis sæpè Ciuibus pudori fuit, si qui non exteras peragrassent regiones: siq́ nihil in illis præclarum, nihil illustre, nihil magnificum, vel magnanimum vidissent notassentq́: quod vel ad studium bellicæ rei, vel ad splendorem imperiorum, vel culturam ingeniorum, vel certè optimorum dignitatem morũ pertinere videretur. Bonis igitur auibus, & omine fausto, Nobilis ac Generose Vir, qui toties Germaniam, Italiam, Hispanias, Gallias, cæterasq́ nationes exteras, studioso peragrasti aditu, nomenq́ Polonũ celeberrimis vbiq́ scriptis, in omni genere sciẽtiarum illustrasti, deduc ad Vrbes nobilissimas, propugnacula

fortis-

fortiſſima, palatia ſplendidiſſima, gentes bellicoſiſſimas, regiones populoſq; linguis, ingeniis, pietate, ſapientia, rerum bellicarũ ſtudio, toto orbe celeberrimas, MAGNI CIVIS PATRIÆ, *Magnæ ſpei Filium: vt hinc opibus firmam, illuſtrem pietate, fortitudine conſpicuam, omni genere bonorum abundantem, ſimilibus virtutibus ille Domum ſuam ornet, ac tueatur. Nos verò ingenti cum deſiderio, & alacritate animorum præſtolabimur, vt nobis hunc præſtantiſſimũ pulcherrimumq; Polonæ Nobilitatis floſculum, dulciſſimas Magnanimorum Parentum delitias, futurum afflictæ Reipub. ſolatium, Academiæ verò noſtræ decus ac firmamentum, quantocius & quàm feliciſſimè reddas, ac reſtituas. Interea te oro, & obſecro, Vir doctiſſ. vt ſi quod ſcriptum prurientis ingenij ſcriptores, in Poloni nominis contemptum, vt ſæpè ſolent, illis in oris in vulgus ſparſerint, mihi quoq; mittas. Nam caſu quodam apud amicum meum vidi, & legi, quæ ſuperioribus annis ſcripſerit, grauiſſimus ille, & veritatis (ſi Dijs placet) amãtiſſimus author, cuius nomen ex contagione Gallica, & argilla Belgica, conflatum eſt: dignus profectò qui cum ſuo mendaciſſimo, & impudentiſſimo fætu, nunquam lucem aſpiciat; quiq; non in ſpongiam, velut Aiax Auguſti, ſed in pugionem, velut parricida Nero, incumbat. Quas fugas nugaſq; Polonis, quas adoreas Moſchis, quem blandientis Fortunæ riſum Sehinio, quas rapinas, quæ latrocinia? quam fæditatem fortiſſimis noſtris militibus, contra ſenſum, famamq; Orbis vniuerſi, egregius videlicet ille veritatis arbiter affingat? quis ſanæ mentis homo non agnoſcat, ſi inter ipſius turpiſſima deliramenta, quæ euomit in nos ſceleratiſſimus nebulo, Anno Dñi 1633. fol: 15. Itemq; Anno 1634. lib. 4.*

fol.113. Tomo XIX. inspexerit? Sed ego istum morionem, istum versutum impostorem, istum veterem veteratorem, fœdissimis mendaciis ructantem, & in conspectu eruditissimorum virorũ nauseantem, conieci iam in refutatorias plagas. Frustra iactabit se aliquando sub istis cassibus Mars nouus, rigidusque Veneris satelles, ridentibus omnibus Dijs, Deabusque. Quid? illi ego clementior benigniorque fuero? illi non respondebo? qui testem sui stuporis orbem fecit vniuersum: dum integerrimam, Patriæ nostræ Famam, victoriasque omni gentium memoria dignissimas, mordacissimo lacerare stylo non erubuit? Licuit illi pro libidine sua fingere deliramenta, ad contemptum nostrum, mihi vera loqui, pro Patriæ meæ defensione non licebit? At ista mendacia non sunt habitura fidem, apud grauissimos orbis Principes, ac ideo solidam gentis nostræ gloriam lædere non possunt? At verò minimus etiam magnanimo leoni molestus esse solet in aure culex: & importunus quanquam ab inglorio sparsus homuncione rumor, non potest etiam fortissimis non displicere Ciuibus, qui Patriæ illibatam armis & ingenio protegunt innocentiam. Itaque sunt, eruntque multi nostræ Reipub. eloquentissimi viri, qui fæliciori fortiorique calamo, hunc mendacissimũ tenebrionem pungent; sed nec ego minorum Quiritium Ciuis, quo minus casses illi nectam, debeo mihi temperare. Vidisti enim hos apud me, Vir nobilissime, foreque rem spectaculo non iniucundam, si se ipsa complicatis laqueis insolentissima fera iugularet, iudicasti. Et iam pridem illos eduxissem in lucem: sed vnde tamen sufficiens laboriosis operarijs, qui fædissimam hanc belluam stylis conficerent sumptus? vnde inquam Typographis, qui literis rem notarent gestam, iustum præmium? Ex illis

videli-

videlicet decem vernaculis minis, quæ antiquissimo more maiorum, dum aurea essent sæcula, annuo professionis stipendio cõsecratæ sunt? quibus liber, vestis, cæteraq; ad vitam necessaria comparanda. Ideo multi dum barbaras feras inuadere parant, dumq; gloriæ obsonium quærunt, vestes (quod est in prouerbio) perdunt, & laceri ipsi attritiq; ex simili certamine, raròq; victores abeunt; in cursu denique ipso multi sæpè inglorij cadunt: vel vt Maro noster ait:

——— Indecores in limine primo
Deficiunt.

Et illud quoq; in emittendis in lucem nostris lucubrationibus grauissimum est incommodum, quòd Bibliographi nostri, quanquam sint prælo & diligentia celebres, præmio certè atq; fructu inferiores habeantur. Quicquid apud nos nascitur, etiam subitò, summo cum dolore doctissimorum virorum apud nos occidit. Sumus enim barbaris vndiq; gentibus cincti, & circumsepti, quibus cum nullum nobis esse potest literarum commercium. Nam Moschi, Scythæ, Gotthi, Vandali, Rutheni albi, quantam occupent terrarum magnitudinem, quantamq; foueant ruditatem, quis ignorat? At in illis regionibus magnam habent inter se familiaritatem, magnaq; commercia Typographi, dum adeò sunt industrij attentiq; ad rem suam, vt quicquid expresserint, illico summo cum fructu, in orbem diffundant vniuersum. Itaq; tu STAROVOLSCI, prudentissimo atq; optimo consilio, tuas accuratas, ac meditatas in omni genere scientiarum commentationes, erectus fæliciori fama, sparsisti & diuulgasti, in omnes angulos Christianorum populorũ, atq; regnorùm, quæcunq; Romanam linguã propitio fauore celebrãt.

Sed

Sed forsan excessi modum Epistolæ, quam primo beneuolentia, fauorq́ propensissimus, in Iuuenem nobilissimum, deinde publica noſtræ Gentis iniuria, dolorq́ iustus fecerunt longiorem. GERARDVM *illum Ciuem nostrum grauissimum, quem vt hoſpitio meo susciperem, antequam in lucem emigrarit Suauiss:* STAROVOLSCI, *author mihi, suasorq́ fuiſti, atq́ adeò illustris gratiæ conciliandæ monstraſti viam, quotidie succissiuis horis, (etenim magno insperatoq́ sæpe curarum, incidentiumq́ laborum abripior æstu) inuiso, & saluto; doq́ operam diligentissimam, vt neque me officiosæ humanitatis olim, neq́ Illustriss: Mæcenatem; locati clarissimi Hoſpitis apud me, pœniteat. Ingeniosiss: atque optimi* STANISLAVS *&* ZIGISMVNDVS DONHOFFII, *Illustriss: Palat: Siradień. Castell. Pernauień. (vt benè noſti) Filij, qui egregijs incrementis, ad hæreditariam bonæ gloriæ possessionem properant, adq́ Reipublicæ decus eximium adolescunt (iam enim Generosus D.* STANISLAVS, *illuſtri Præfecturæ Vieluneń. honore conſpicuus, summa cum laude, & vicinorum admiratione, hac tenera in ætate, iudicijs frequentissimè celebratis, & Spartam illam suam adornat, & Phæbo nostro Musisq́ Academicis obnixè fauet) Fratrem suum dulcissimum, & Nobilem ac Generosum D. Christophorum Thomicium, totamq́ Familiam, officiosissimè salutant. Iterum, iterumq́ vale Vir doctissime meq́ vt facis, ama. Dat. Crac. è Collegio Min. D. 19. Octob. Anno D. 1635.*

IOANNIS

IOANNIS RAPHAËLIS
Comitis à Tarnow, Stud. Eloquen.
PHALEVCVS,
IN

Mercurium (ſi Dijs placet) *Gallobelgicum rerum geſtarum, huius ſæculi ſcriptorem mendaciſſ.*

M. Tullius lib. 2. de Orat.

QVis neſcit primam eſſe Hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat: ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis.

Mendaciſſime Mercurî Nepotum,
Furaciſſime Mercurî Nepotum,
Quot ſunt, quotq́ue fuêre Gallicorum,
Quot ſunt, quotq́ue fuêre Belgicorum;
Quotq́ue poſt alijs erunt in annis,
Si qui poſt alijs erunt in annis,
Si qui retro alijs erant in annis.
Nam non poſſibile eſt ſceleſtiorem,
Qui furuus, furiat ſceleſtiori
Ore, dente, maleuolentiâq́ue;

Nam non poſſibile eſt ferociorem
Qui ferociat efferaciori
Cruditate, in opes beatiorum
Gentium magis; ac magis proteruum,
Qui proteruiat impudentiore
Diritate, ſtylo, proteruitate, in
Æquitatis amabiles Quirites;
Nec qui proruat inquinatiori,
Cæno diuitias amæniores,
Gentis Sarmaticæ, potentis omni
Famâ, poſteritatem in æuiternam,
Futurum dare poſſe ſæculum vt tu es!
Elapſumque dediſſe ſæculum vt tu es!
Per mendacia, per doloſque linguæ,
Defædare genus POLONIARVM,
Iuſtum, magnanimum, fidele, forte,
Auſus es ſcelerate parricida?
Auſus es calamo inſolentiori,
Auſus es calamo efferaciori,
Auſus es calamo impotentiori,
Euitare bonam ô ferox ſatelles,
Euirare piam, impie ô laniſta,
Viſcerare ſacram ô Tyranne GENTEM?
Ingentem meritis in Orbe gentem!
Stupen-

Stupendam pietate in Orbe Gentem!
Potentemque viris in Orbe Gentem!
Quam BELLONA Parens tuetur armis,
Quam MARS purpureus tuetur armis,
Quam MINERVA ſagax tuetur armis;
Armis eloquij ſuàuioris,
Armis conſilij potentioris,
Armis ingenuæ eruditionis.
GALLOBELGICE trux, vafer, cruente,
Excors ardelio, quid inde lucri
Effrons Morio, quid capeſſis inde
Spei? perfidus vt niſi ſis omni
Seclo proditor, elegantioris
Gloriæ, Fidei, Innocentiæque;
Fortitudinis, Æquitatis hoſtis:
Hoſtis Hiſtoriæ ſonantioris
Bono Nomine, proſperâque Famâ.
Nulla Sanguinis vtriusque Gentis
Ineſt vena tibi Alma ſempiternum
Indixit tibi Veritas, ab omni
Cætu nobilium receſſum. Inertes
Auſer ſarcinulas, miſerrime exul
Exſpes, perdite, nec dolende cuiquam,
Proſcripte Hiſtoriæ ſereniori

Albo, iam tenebris obrute vaſtis,
Blattis, & tineis, manebis eſca:
Ad Græcas tibi nam fidem Calendas
Arbitri ſolidæ elocutionis
Dabunt. Conſcelerate veritatis
Maſtix, vappa vaferrime Æquitatis,
Inſaniſſime ſannio innocentum,
Impuriſſime Natta Morionum,
Obſcuriſſime talpa regionum,
Fallaciſſime prædo Principum Orbis.
Ignauiſſime Mercurî Nepotum
Perditiſſime Mercurî Nepotum,
Quot ſunt quotq́ue fuêre Gallicorum,
Quot ſunt quotq́ue fuêre Belgicorum.

PRVSSIA

PRVSSIA RECVPERATA.

TErtius hic eſt SERENISS: VLADISLAI IV. atque feliciſsimus auſpicatiſſimi annus imperij, Perilluſtres, Magnifici, Adm̃. R. Clariſs. Nobiliſsq. Audit. quo nobis poſt maximas immortalique memoria digniſsimas victorias, miſerabili ſeruitute mancipatam ab iniquis poſſeſſoribus, admirabili fælicitate, prudentiâ, æquitate, recuperauit Pruſsiã, in priſtinamque velut poſtliminio reuocauit libertatem. Gaudemus omnes, incredibiliq; lætitiâ efferimur, plurimumq; vt debemus REGI noſtro feliciſsimo, atq; optimo, proſperam hanc fortunam, & eximiam in rebus gerendis dexteritatem gratulamur: Deo verò Opt: Max: tantorum bonorum largitori, ac perfectori, gratias agimus, & habemus immortales. Illius enim beneficio ampliſsimo perfectum eſt, vt inflammati grauiſsimis odijs animi, à furore, cædibus, incendijs, perpetuâ laceratione, tandẽ aliquando, ad mutuum amorem, concordiam, tranquillitatem, pacemque reuocarentur. Gratior nunc eſt nobis, poſt illa fulgura, atq; tonitrua, hæc tanta ſerenitas, quam Cælum ipſum, quod æſtate in illo primo apparatu bellorum, triſtiſsimis pluuijs obfuſcauerat, gratiſsimo iſto lumine videtur approbaſſe. Et quidem ego Aud. in principio huius belli, quod cum parum æquis vicinis ſuſceperamus,

timui vehementer, ne conditio insidiosa pacis, auream n
bis confunderet libertatem: verùm posteaquam & ip
maximarum momenta rerum inspexi, atque cognoui, n
quaquam ab his dissentire potui rationibus, quas prude
tes & graues circumferebant viri. Agam igitur vob
applaudentibus, & congratulantibus Aud. de recupera
Prussia; & ita agam, vt nemo me aut ingratum, aut imp
um, aut iniustum, in recognoscendis tantis bonis, qu
recuperauimus cum Prussia, deprehendat. Nulli
profectò magis conuenit Induciarum lætissimum nome
celebrari, quàm in hac æde Concordiæ, in templo Pac
in Lycæo Musarum, in Areopago libertatis, in Prytane
optimè meritorum sapientissimorumque virorum. S
gratus alijs acceptusq; hic rumor, cùm recuperatam aud
unt esse Prussiam, nobis certè pius & sanctus esse debet
qui casta religione Præsidem sapientiæ, bellorumqu
Palladem colimus; cui fortissimam Ægidem sapien
antiquitas consecrauit; & Musis Caduceum addimus
velut signum dulcissimæ Pacis sempiternum. Quod
Belgicus ille scriptor, sæculi nostri vnio nobilissmus, I V
STVS LIPSIVS in sua quadam dissertatione de Pac
non dubitauit gloriari, Magnitudinem sui REGIS, virtut
ac fortunam Hispaniarum, intra sexaginta annos, form
dabilem factam esse finitimis & longinquis: nos qui intr
triennium tantas victorias videmus? tanta emolument
decerpimus? tantam gloriam ob S. R. M. fortitudinem
pietatem, prudentiam, fælicitatem, clementiam experti

sumus

sumus, non meritò gloriabimur? non omnino tantas vir-
tutes iucundissima commemoratione, atque laude cele-
brabimus? Et celebrabimus quidem meritò libenterq; die
hodierna tanta bona: Vos modò Aud. qui grati, qui pij,
qui fauentes, tantorum beneficiciorum adestis arbitri,
oro & obsecro, ne rem ipsam, dictionemque meam ex tem-
pore fusam (scitis enim quo die rumor hic ad nos peruo-
lârit) priusquam momenta singula rationum cognoueri-
tis, respuatis, vel contemnatis. Magnum n. hoc be-
neficium, virtute, fælicitate, prudentia, VLADISLAI IV.
percepimus Aud. atque ita magnum, vt hoc tempore nul-
lum maius, nullum illustrius, & magnificentius percepis-
se videamur. Oppugnabant nos barbari, vexabant Scy-
thæ, premebant Turcæ; pacem dedit, pacem restituit, pa-
cem reuocauit, & perfecit cum his tantis, tamque immani-
bus gentibus VLADISLAVS REX: sed nisi hanc flam-
mam, quæ in ipsis visceribus Patriæ concepta fuit, restin-
xisset, nisi Prussiam nobis optimo plenissimoque iure inte-
gram, inuiolatamque reddidisset; non poterat (ignoscite
asperiori verbo Aud.) non poterat inquã VLADISLAVS,
Pater Patriæ, vindex libertatis, communis author Pacis ap-
pellari. Adeò faciliùs est, vel cum Othomano, vel cum Mo-
scho, vel cum Scytha conficere periculosum bellum, quàm
cum eo hoste, qui nostris ditionibus insidet, nostris con-
tralijs adhæret, nostras premit vicinitate, fatigatque temeri-
tate leges; nouit fœdera, nouit vires, nouit potentiam, in-
timamque pugnandi, & consultandi rationem. Quas olim

lites

lites, quas contentiones, quos tumultus, in huius oræ r
cuperatione sensimus; quæ, & quam atrocia bella, cu
Crucigeris gessimus, quis, qui vel leuiter monumenta sup
riorum sęculorũ inspexerit, ignorare potest? Venit nobis i
scijs GVSTAVVS, sanguine intimus, vicinitate proximu
arte militari, & stratagematis instructissimus, quis huic res
tit? quis illius à Patria vim? & importunã auertit impetiti
nẽ? quis virtute coercuit fraudem? quis audaciam, dolum
malum, fortitudine repressit, & compescuit? Cùm pra
sertim tùm bello Turcico graui, & periculoso, esset tota n
stra præoccupata Polonia. Magis attenti fuimus ô Polo
mei, ad prodigia ruentis in præcipitium Russiæ, quàm a
reprimendos insultus deficientis, & in suo scelere exulta
tis Prussiæ. Illam oppugnabat hostis barbarus, hanc o
primebat hospes & amicus; illam Osmanus, hanc GV
STAVVS rapiebat. Et quanquam rebus omnibus, cu
immanissimo hoste gloriosè confectis triumphauimus, h
tamen (fatendum enim est, quod fuit in re) dolo mal
victi sumus, succubuimus. Nam alijs negotijs distenti, fo
dera, conditionesque Pacis iniquas, ad tempus, ab impo
tunissimo hospite, coacti sumus accipere.

Illuxit tandem nobis, prospera serenaque fatorum be
nignitas, postquam REGNVM REX VLADISLAV
potens, fortis, fortunatus, in tutellam accepit suam. Su
bitò enim, non solùm illam labem, quæ diu, cum graui
simo dedecore nomini Polono inhæserat absterfit, se
hanc quoque ignominiam, quæ ab omnibus gentibus
summo

ſummo cum ſtupore ſpectabatur, deleuit, & extinxit. Vicit Moſchum iuſtitia, Othomanum prudentiâ; ſed ne quicquam ad memorabilem gloriam, atq; triumphum deſideraretur, viciſſe debuit, in intimis viſceribus noſtris, hoſtem latentem clementiâ. Eduxit igitur legiones, euocauit exercitus, inſtruxit acies in Pruſsia; ſed vt non armis, quàm rationibus potiùs, & argumentis, clementiſsimus ac prudentiſsimus REX pugnaret.

Quàm fælices eſtis eloquentiſsimi Patriæ Ciues, voſque prudentiſsimi vicinarum gentium Oratores, qui REGI noſtro, pio, forti, fælici, gentilitia arma ad tempus illud implicatū occultaſtis, qui militum vel iuſtum dolorem, vel iniuriam, vel fortitudinem, mirabili veſtra prudentia cōpeſcuiſtis, temperaſtis; priùsque ſapientia leporeque veſtro mellitiſsimo, efferatos animos vincere, quàm illi oppugnaſſent hoſtes, docuiſtis. Itaq; diſertiſsimi atque prudentiſsimi Sarmatici Neſtores, hodie eloquentiæ veſtræ fructum percipitis longè vberrimum, dum ætate ſenes, auctoritate venerabiles; ferocientibus militibus, caloreq; iuuenili, ad ſanguinis effuſionem efferueſcentibus, omnem occaſionem belli abſtuliſtis: Martem inſuper ipſum, minas ſpirantem, euomentem incendia, eiaculantem fulmina, vibrantem tonitrua, ab illis oris, aſpectu veſtro venerando, terruiſtis, auertiſtis, fugaſtis. Non ſiccâ, ſed linguâ, non fuſo ſanguine, ſed illa flexanimâ eloquentiâ, quæ regit tēperatq; animos mortalium, pugnaſtis, viciſtis: priusq; de futuris vtriuſque partis victoribus triumphaſtis, quàm ſe illi vi-

li vi-

li victos ſuperatoſq; cognouiſſent. *Magna res eſt* (ait Æneas Syluius in gnomolia ſua, quam ego ſententiam delibaui ab ore facundiſs. ſenis; clariſsimiq; Iuriſprudentiæ ſacerdotis, Thomæ Swinárſki à piątek, dum pridie cum eo hiſce de rebus agerem) *Magna igitur res eſt,(ait ille) facundia, nihilq́ eſt, quod tam regat orbem hunc vniuerſum, quam eloquentia: quoniam quicquid in Repub. agimus, verbis perſuaſi agimus; illiusq́ vnius in populo regnat, vincit, triumphat ſententia, qui meliùs & acutiùs perſuadere nouit.* Nimirum hic quoque triumphus, per eloquentem Suadam paratus, ne ſolus in noſtris regionibus Mars, de fuſis proſtratiſq; triumpharet hoſtibus, deſiderabatur: vt vtrumq; decus, vtraq; ſpolia opima, Toga Sagoq́ue potentiſs. VLADISLAVS poſsideret.

Stultum eſt Aud. more ferarum, viribus certare corporis, cum animi robore poſsis vincere. Stultum eſt ſummo cum apparatu, armare diu militem ad prælium, quod citò rationibus poſsis conficere. Stultum eſt, graue & periculoſum, Pacis gratiâ bellum ſuſcipere, ipſam verò pacem ſeſe ſponte offerentem repudiare: Cùm (vt Hannibal ad Scipionem aiebat) *nunquam minus euentus rerum reſpondeat, quàm in bello.* Arma valent, cùm ratio deficit, cùm ad coercendos ſedandosq́ue tumultus, ſanum nihil prodeſt conſilium, pugnandum eſt. Hominum eſt verum prælium, non ſtrepitu armorum, ſed dignitate rationum confligere.

Nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura, chara videtur habere; quem diſcordiæ gentium, quē

cædes

cædes Ciuium, quem tumultus populorum, quem bella propemodum Ciuilia delectant. Omnino hanc tantam gloriæ cupiditatem, vna hæc modestioris Æquitatis medicina debuit temperare: cum cæca regnandi libido, homines plerumq; rapiat, vt nullis finibus contenti sint, nulloque fædere pacis oblectentur.

Scytharum legatos sic locutos ad Alexandrum Regem commemorat Historicus: *Si Dij habitum corporis tui, auiditati animi parem esse voluissent, Orbis te non caperet: altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres: & hoc assecutus scire velles, vbi tanti luminis fulgor conderetur! Sic quoq; concupiscis quod non capitur. Ab Europa petis Asiã: ex Asia transis in Europam. Deinde si humanum genus omne superaueris, cum syluis & nubibus, & fulminibus, ferisq; ac bestiis gesturus es bellum. Quid? Tu ignoras, arbores integras diu crescere, vna tantùm hora extirpari. Stultus est qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis decidas. Leo quoq; aliquando, minimarum auium pabulum fuit. Ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit, etiam ab inualido*

Quam tibi à nobis inferri prætendebas iniuriam Adolphe Gustaue? Vexasti Lithuaniam, præripuisti Liuoniam, sollicitasti contra nos ad arma Moschouiam, inuasisti absente Rege, absente Duce, absente exercitu, nobis absentibus PRVSSIAM: cùm omnes acerrimo tum bello nobis à Spartaco immanissimo illato, grauissimè premere-

mur. Quid poſtea? petiuiſti Germaniam. Scilicet vt hanc quoq; inteſtino bello graui & acerbo, multis ab annis ardentem, ſeq; crudeliter armis concutientem, magnus pacis arbiter, ad pacem reuocares? renuentem pijs (ſi Dijs placet) armis, ſumere fœdera cogeres? quid eſſet denique iuſtè pugnare, quid eſſet moderatè imperare, quid eſſet ſubditos ſanctè in fide tenere, doceres? Ergo ſanctiſſ. Imperator, in deſerto illo peregrinoq; ſolo iaces! Iaces! Miſeret me tanti bellatoris, tanti victoris, tanti maximorum conſiliorum moderatoris. Sed tamen diu ſtertas oportet, in his terris, quia citò te, magne Gygas in cælos erigere voluiſti, vt cum ipſis Superis immortale bellum gereres. Citò ab his in illas terras, citò ab illis tandem in alias tranſuolaſti. Orbem terrarum, tuis illis immanibus armis ſubiugare, magnus ſcilicet SVETICVS ALEXANDER in animo habuiſti: magnificas gratulationes, à tuis illis diſertiſsimis Oratoribus audiuiſti, vota fælicißima, omina auſpicatiſsima, antequam tanta, tamq; illuſtria confeciſſes bella, admiſiſti; ante ingentes victorias, tempeſtiuè triumphare properaſti; ne quiſquam de tua vanitate, præter ipſum te ageret triumphum. An non erat tibi glorioſiùs in pace viuere, aliena non appetere, quàm te, tuaq; omnia bona, vitam, famam, vxorem, amicos, exercitum, ad dedecus ſempiternum proſtituere? Nimirum te infirmitatis eſſe tuæ memorem oportebat, & ab ipſis brutis animalibus diſcere cautiorem ſolertiam. Teſtudinem (Liuius in Oratione P. Quinctij ait) vbi collecta in ſuum tegimen eſt, tutam ad

omnes

omnes ictus videmus esse, vbi exerit partes aliquas, quodcunque nudauit, obnoxium atq; infirmum habere. Nihil temeritate periculosiùs est Aud. nihil æquitate, & animi moderatione laudabiliùs in Principe.

Cyneas ille Tessalus, vir admirabili memoriâ, & eloquentia singulari, vt Démosthenis æmulum & imitatorem lepidum & facetum, liquido possis agnoscere; cùm Pyrrhum Regem nimis incitatum in bellum Italicum cerneret, iucundè admodum eum rogauit. Victis Romanis quid agemus: vincemus (inquit Pyrrhus) Siciliam: & rursus eâ victâ, quid? à Lybia & Carthagine (Pyrrhus ait) quis abstineat? Deinceps (ait Cyneas) his victis, eritne finis militiæ nostræ? Hic (Rex ait) nequaquam: Sed Macedoniam, Græciam, & reliquas mundi partes, hac potentiâ facilè superabimus. Tum Cyneas suauissima blandissimâque voce, sed subactis omnibus in vniuersum, ô REX quid acturi sumus? Pyrrhus ridens, ocium agemus, ait, & dulcissimis sermonibus, conuiuijs, atq; lætitiâ perfruemur. Adest nobis Pyrrhe aceruus ingens (ait Cyneas) eorum omnium, ad quæ, per cædem, & sanguinem nos ducis: fruamur ergo præsentibus: mittamus odia, auertamus dissensiones, bella respuamus, pessimamq; omnem rapinarum latrociniorumque occasionem tollamus, & genio, si libet, indulgeamus. Sed surdo fabula; non persuasit peruicacissimo Regi, lepidissimus Orator, neque illum à cogitatis latrocinijs abduxit. Eadem enim proteruia Pyrrhus Aud. qua Gustauus laborabat, par illius erat amen-

tia, similis animi audacia, & in rapiendis regnis alienis libido; eundem deniq; vterque vitæ, temeritatisq; suæ finem accepit. Immemor vterq: suæ fuit sortis, immemor Fortunæ superioris, maiorumq; suorum. Nam Pyrrhi Patruus erat ille Alexander, qui cùm nimis auidè Italiæ regnum appetijsset, in Brutijs interemptus est. Pater quoque eius Æacides Epyri Rex, impotentis itidem & præfracti animi, cũ aduersus Macedonas, importunissimis bellis fatigaret populum, regno pulsus est; secùmque exilij comitem, hunc bimulum Filium Pirrhum traxit. qui post Parentis obitum, annum vndecimum agens, ab Epirotis, odio in misericordiam conuerso, reuocatus est in regnum. Hic ergò cùm adoleuisset, ijsdem maiorum exemplis ac vestigijs institerat, eadem temeritate pręceps ferebatur, pręsertim cum illi Fortuna benigniùs indulgeret; credo, vt is grauiùs è summo culmine caderet. Prospero enim rerum successu elatus, Tarentinis, Lucanis, Samnitibus contra Romanos in auxilium venit: Inde Valerium Leuinum Consulem, tetro insuetoque elephantorum odore, ac terrore superauit: iterumque Romanum exercitum grauiter fudit. Quibus victorijs tumidus & inflatus, Regnum Siciliæ facilè obtinuit, Carthaginenses ab ea insula eiecit, Helenum filium eius insulæ Regem fecit: Alexandro Italiæ regnum, quasi iam possedisset destinauit: reuersusq; iterum in Epirum, Antigonum Regem fugauit, Macedoniam occupauit. Quid plura? Non contentus, tantis victorijs, tantis triumphis, Græciæ Asiæq; regna, per vim rapere in animo constituit.

Sed

Sed dum Spartanos, alijs bellis iutentos, primo aggrederetur, mulieris (ô ignominiam !) virtute repulſus, filium Ptolomæum, & magnam exercitus partem amiſit: inde Siciliæ regno ſpoliatus, naufragio turpique fugâ preſſus cùm tandem Argos conceſsiſſet, & Antigonum in vrbe obſeſſum expugnare conatus eſſet, ſaxo è muro, à quadam muliercula ictus, miſerrimè perijt: atq; ſic vtriuſque Fortunæ ridenda non imitanda ludibria, cautiori poſteritati reliquit. O miſeram dominandi ſitim, & lubricam mortalium Fortunam, inanesq; contentiones omnes, quæ ante tempeſtate inſperata franguntur, & corruunt, quàm portum attingere potuerunt.

Intellexit ergo prudentiſsimus REX noſter VLADISLAVS, glorioſiùs eſſe ſibi, & ad omnem poſteritatis memoriam laudabiliùs, eas regiones recuperare prudentiâ, & æquitate, quas Guſtauus fraude, ſcelere, latrocinijs poſſediſſet, contaminaſſetque. Pugnabat ille perfidia, & temeritate: reſiſtendum illi erat clementia, & pietate: ille vaferrimis incurſionibus, præocupauit Pruſsiam; noſter VLADISLAVS iuſtiſsimus, non niſi maturis conſultationibus, eandem debuit recuperare. Vt quo magis homines, pellacibus vulpeculis, ratione & conſilio præſtant: eo ſint illæ virtutes illuſtriores ad gloriam, & perpetuam poſteritatis Famam, quæ humanum bonum, non belluinum, dolum commendant. Triſte mortalibus ſpectaculum exhibebat PRVSSIA. Pulſa fuit Religio, iura neglecta, infidæ euntibus viæ, flumina nauigantibus impedita,

Aud.

dita,

dita; domus, viciq́ue, paſsim rapinis, incendijs, immanitate afflicti: ſola deniq; caſtra, in ſquallentibus campis fulgentia, ſpectabantur. Nec populus primo furore ſentiebat grauiora ſe pati, ſub hoſpitum Tyrannorum grege, quàm quæ iuſtus Dominus imperaſſet. Proditor ipſe ſui populus, & proditionis merces. Quis florem illius oræ reuocaſſet? quis præſidio ſatis firmo, nobis horreum illud vberrimum circumſepſiſſet? ſi futuræ Pacis, & Ocij iucundiſsima poſſeſsio, tranquillitaſq́ue abfuiſſet? REX ergo fortiſsimus, & Iuſtitia ſubditos coërcuit, & hoſtes auctoritate terruit, & exteras vicinaſq́ue gentes, ſapientiæ famâ conciliauit. Vt & debellare ſuperbos armis, ſe poſſe, cùm eſſet opus docuerit, & arma ſua cùm vellet ſapienti conſilio temperare. Vt ſciret Orbis vniuerſus, Polonam gentem moribus candidam, robore firmam, Orthodoxa Religione conſpicuam, Eccleſiæ populorumq́ue Chriſtianorum propugnatricem, regnorum Catholicorum gemmam, veræ libertatis aſyllum, bellicoſæ nobilitatis officinam, auguſtam fortiſsimorum Ciuium Patriam: à REGE VLADISLAO, ſummo nobilitatis Principe, vero Libertatis Patrono, magno Religionis Catholicæ vindice, fortiſſ: Orthodoxæ Eccleſiæ defenſore, ſapientiſsimo Iuſtitiæ moderatore, Patre Patriæ clementiſſ: defendi. Equidem bono quodam ſemper omine, propitijſq́ue fatis, VLADISLAORVM nomina, noſtræ illuxerunt Sarmatiæ: hoc verò præſenti iuſtiſsimo fortiſsimoq́, VLADISLAO, nihil ad magnarum virtutum commendationem illuſtrius, nihil ad

hil ad ſpem, clariſsimorum egregiorumq; facinorum certiùs, nihil ad famam gloriamq; Polonæ gentis firmiùs, & accomodatiùs, diuina dare nobis potuit benignitas. Nam Poloni veteres, maiores noſtri, Regiæ magnitudinis formam, quam animo comprehenſam habebant, huius vocis potiſsimum notione, complexi ſunt: quâ & Reges ſuos optimos, ſolerti quadam excitati præſagitione dotarunt, & ornarunt. Vt non Antonios, ab hominis vnius imitatione; non Auguſtos, ab aliqua maieſtatis contemplatione: non Ptolomeos, ab vna officij regij mentione; per ſummam adulationem: ſed à valida Fama, illuſtriq; gloria, & virtute numeris omnibus abſoluta, ſecundum intimam veritatem, VLADISLAOS nominarent. Quàm fortis, quàm ſapiens, quàm clemens bellator, victor, triumphator, fuerit is VLADISLAVS, qui parens extitit, & excitator, huius noſtri Athænei nobiliſsimi; ſcimus omnes. Ille Crucigeros, magnis frequentibusque bellis exercitatiſsimos, tumidos & inſolentes victorijs, natura & ingenio ferociſsimos, omni vecordia & diritate immaniſsimos, fregit, vicit, depreſsit: ille hanc ipſam Pruſsiam, de qua nobis eſt ſermo, ab illis ipſis iniquis, & ingratis poſſeſsoribus, iuſtiſsimis armis vindicauit: ille tandem ſupplices proſtratoſque hoſtes, certis pacis conditionibus adſtrinxit, & quietos modeſtosq; viuere iuſsit: ille denique rebus egregiè geſtis, vicinorum populorum inuidiam ſuperauit. Simultates cum Imperatore nobis inimiciſsimo ſuſtulit, inteſtinas rixas, odia grauiſsima, con-

tentiones acerrimas, saluberrimis consilijs mitigauit, & extinxit. Quid alter ille magnus Bellator VLADISLAVS, huius Filius, Poloniarum & Hungariæ Rex, quæ bella gessit, quas victorias, quos triumphos sibi peperit? An verò quēquam, qui vel leuiter vetustatis annales attigerit, latere potest? aduentu VLADISLAI Iagellonidis in Hungariam, maximas Amurathis copias, omnibus rebus ornatas, atq; instructas esse deletas? Vrbem clarissimam Hungarisque hæreditariam, & charissimam Bielogradum, obsessā ab Amurathe, maxima multitudine, & oppugnatam vehementissimè, Regis fortissimi virtute, fælicitate, consilio, summis obsidionis periculis liberatam? ab eodem Rege, exercitum ingentem, qui Duce Carambeio, in Hungariam studio inflammato raperetur, superatum esse, atque depressum? Magnas hostium præterea copias, multis prælijs esse deletas? patefactamq; Hungaricis legionibus esse Bulgariam; quæ ante ex omni aditu, nostris populis clausa esset? Sardicam, cæteraq; non ignobilia oppida, in quibus erant præsidia Turcæ, omnibus rebus ad vim paratis referta, aliasque vrbes Thraciæ, vno aditu, atq; aduentu Regis esse captas? Messitem Bassam bellicosissimum, cum filio, à Ioanne Hunniade, Regis huius auspicijs, esse interfectum? Sciabadinum alterum Bassam, trepidè, turpiterque fugere coactum? Ab eodem Hunniade decem millibus militum, triginta millia Turcarum cæsa, ac profligata, quatuor millia in deditionem accepta? altissimos & difficillimos montes, in sinu Thraciæ, Macædoniæq; superatos? ip-

sum

ſum Amurathem ſpoliatum magnis poſſeſsionibus, & propugnaculis, in intimas ſui imperij latebras, ſe ſe immerſiſſe? & ad alias gẽtes, nationesq; remotiores, trepidum confugiſſe? Hæc omnia fæliciſsimè à VLADISLAO Iagellone eſſe geſta, Hungariam metu liberatam, ciues recreatos, vitæ, fortunis, & libertati reſtititutos, quis ignorat? Quid? nonne conſtat, ita Regem VLADISLAVM, de fortunis Ciuium, de ſalute populorum, de Chriſtiani nominis integritate dimicaſſe, vt nullius in delicti ſuſpicionem, tanti triumphatoris victoriæ vocarentur. Non vi, niſi contra vim, vſus eſt; non fraude, ſed virtute; non dolo malo, ſed ſortitudine; non rapinis, ſed animi magnitudine; non inſidijs, ſed aperto Marte; cum Amurathe ſceleratiſsimo hoſte toties decertauit: & tantam ſibi gloriam, tantam famam, admirationemq; apud omnes gentes peperit, vt dignus eſſet, qui omnium populorum Chriſtianorum ſuffragijs, & ſanctiſsimi Pontificis voluntate, contra Turcam, Dux vnus maximus, eligeretur. Cùm ferociſsimus Amurathes, nihil niſi ſcelus, fraudes, immanitatem, moliretur, eiacularetur; vicos incendijs, oppida direptionibus, agros depopulationibus, vrbes trepidatione, miſeros homines ſeruitute, & ſquallore opprimeret. Fregit igitur Spartacum, diritate ferocem, immanitate intolerabilem, VLADISLAVS: neq; recuſauit, quo minus vel in extremo ſpiritu, ſi quam opem Reipub. Chriſtianæ ferre poſſet, ſceleratam barbari impreſsionem experiretur. Et quanquam tantorum laborum præmia, non ſunt in hac vita, finem fructumque ſuum

 conſecuta

consecuta; sed tamen ad immortalitatem translata sunt, vbi illi fortissimi Christianarum gentium propugnatores, gloriæq; diuinæ veri propagatores, atq; vindices, æuo perfruuntur sempiterno. Sed quid ego, in his immoror, quæ per se ipsa manifesta sunt, & illustria? illud miremur potiùs, tantam esse nominis huius maiestatem, vt omniū virtutum heroicarum, retineat, hæreditario quodam iure, possessionem. Quam pusillus erat LOCTICVS ille! & tamen quæ bella gessit? quas victorias de hostibus decerpsit? quos triumphos sibi parauit, quis cogitando non obstupescat? vt non immerito apud ingeniosissimum nostrum Pöëtam ambitiosissimè glorietur.

Corpore paruus eram, cubito vix altior vno,
Sed tamen in paruo corpore, magnus eram.
Non ego Prussorumq; Bôemorumq; cruorem,
Iactabo cladem, nec Gedemire tuam;
Fortunam vici! cum qua mihi bella fuerunt,
Vt Niger è terris triste volaret iter.
Ter cecidi regno, per te Rhamnusia semper,
Post lapsum erexi maiùs ad arma caput.
Corde viris opus est magno, non corpore: magnum
Qui strauit Goliam, nonne pusillus erat?
Ingentem paruus Poliphemum vicit Vlisses,
Sed tamen ille hominem, tam graue Numen ego.

Equidem nolo esse hoc loco Syllabarum auceps, & cantor Etymologiarum, sed tamen eorum hominum, incredibilem licet admirari sapientiam, qui omnes regij muneris partes

ris partes, tam aptè, tam appositè, tam prudenter, in nostra lingua, paucis Syllabis effinxerunt. Nam quoties famâ potentem, illustrem gloriâ, præstantem fortitudine, validum robore animi, & corporis, nominare volebant, toties, & vno quidem breuiq; nomine, vocabant VLADISLAVM. Vt qui hoc nomen grande, & illustre ferret, cogitaret, sciretq; se esse Regem: sentiretq; se frustra VLADISLAVM appellari nomine, nisi Regem officio, pietate, prudentiâ, fortitudine, iustitia, animi magnitudine, clementiâ, repræsentaret. Neque alias in Rege virtutes, quàm quæ augusto hoc nomine continentur, Deus ipse desiderat. Satis viuit gloriæ, satis famæ, satis immortalitati, quisquis colit Iustitiam, seruat æquitatem, moderatur fortitudinem, fouet pietatem, amplectitur prudentiam, admittit in animum clementiam; atque is vno nomine vocatur, & est ipse VLADISLAVS. Itaque respexit nostram Patriam, multis procellis, & bellorum tempestatibus iactatam, supremus ille gubernatòr, & arbiter imperiorum Deus: cùm hunc nobis, hisce afflictissimis temporibus, præfecisset Regem, qui vnus cæteris omnibus, virtute, prudentia, æquitate, clementia, animi magnanimitate, & pietate, antecelleret. Vt quemadmodum diuina illa mens, per hanc mundi aspectabilis fusa naturam; sic ille ipse propagator, in partes omnes, prouidentiæ, potentiæq; lumine, Sarmaticum orbem, bonis & necessarijs legibus, temperaret. Illius autem thronum esse iussit, arcem bonorum, improbitatis scopulum, propugnaculum Innocentiæ, in-

opiæ perfugium, iustitiæ asyllum, benè beatèque viuendi normam, pietatis officinam, communis Pacis, atq; ocij, certisimum firmisimumque fundamentum. Huic inter homines Deo, beatam Ciuium vitam proposuit; vt ea opib9 firma, copijs locuples, gloria diues, virtute honesta sit. Viueret ipse aliorum commodis, oblitus sui; admitteret in animum, integram inuiolatamq; Reipub. curam, tamque se pro subditis, quàm supra subditos esse, cognosceret.

Verè, & meritò, tot rebus fortiter gestis, Te nobis probasti VLADISLAVM, Sereniss: Rex VLADISLAE. Senserunt Te, non solum pertinaces hostes, validum dexterâ, Marte potentem, & armis: sed nos quoq; maximâ nostra cum voluptate, & consolatione, sensimus hoc tempore, quo in omnes partes bellis distrahebamur, consilijs Tuis prope diuinis, stabilitam, & confirmatam Pacem: recepimus vicinarum gentium amicitiam, quam Tu ita conciliasti, ita confirmasti, ac corroborasti, vt Te nobis luculentisimè probaueris VLADISLAVM. Hærent, durantque vestris in animis Aud. illustria Sereniss: Regis facinora, victoriæ, triumphi: quæ in omni posteritatis memoria vigebunt, manebuntque. Frangendus erat immanis robore, proteruus temeritate, insolens diritate, exultans audaciâ Moschus, fregit hunc, illiusque impetitiones omnes, subitò & insperato aduentu suo, depresit, & contudit, fortisimus ac fælicisimus VLADISLAVS. Arcendus erat à finibus perfidus Abazi Bassa, auertendus à patrijs focis, & laribus, altero post anno, trux ipse Spartacus, arcuit illum au-

ſpicijs & fælicitate VLADISLAI, Dux Exercituum vigilantiſsimus Staniſlaus KONIECPOLSCIVS: hunc verò præſens ipſe auertit, ſummoque cum dedecore fugauit, & repreſsit; atque adeò Pacis conditiones imperioſas, accipere coëgit, potentiſsimus fortiſsimusque REX VLADISLAVS. firmanda tandem erat pax, & componenda in PRVSSIA, compoſuit hanc & firmauit, clementiſsimus VLADISLAVS: atq; ita firmauit, vt melioribus conditionibus, firmari nequaquam potuerit. Omnia quæcunq; erant ablata nobis, reſtituta ſunt: arces, propugnacula, vectigalia, Ciuitates, optimo iure, in noſtram ceſſerunt poteſtatem. Quid plura? ſine omni prælio, ſine tumultu, ſine trepidatione, ſine effuſione ſanguinis, vicimus! vt glorioſius ſit, & ad perpetuã poſteritatis memoriam illuſtriùs, Sereniſſ: Regi VLADISLAO propemodum inermi, armatam exarmaſſe Pruſsiam, ſubque ſuam reuocaſſe poteſtatem, quàm ſi vi, ſi robore machinarum, ſi impulſu tormentorum, eandem fractam, proſtratam, omnibus bonis exhauſtam, præſidijs, & munitionibus orbatam, miſerabiliter in ſuis ruderibus iacentem, flentem, gementem, fame, ſitique languentem, ac pene morientem, in ſuã tandem gratiam recepiſſet; ex qua nec fructum decerpere poſſet vllum, nec hoſtibus reliquiſſet.

Itaque non enumero cohortes, non examino fortiſsimorum noſtrorum militum robur, non deprædico illuſtrium Principum animoſam heroicamque fortitudinem, non bellicum apparatum, Oratione oſtentatrice diuendo,

& exag-

& exaggero: non enim mei hoc eſt ingenij, ac ne officij quidem, de tantis tamque magnificis rebus, præſertimq́ue à meo conſpectu, & profeſsione auerſis, & remotis, diſceptare, vel iudicare. Agat per me licet, cui placet, diſceptatorem Phormionem, ego ſum, & eſſe volo, taciturni Pythagoræ modeſtus alumnus, & imitator Harpocratis. Fuiſſent ſanè noſtri Poloni paratiores, atque magis obarmati, aduerſus omnem vim, & hoſtium audaciam, duxiſſent fæliciter, fortiterq́ue, longum diuturnumq́; bellum, commeatu, tormentis bellicis, & omnibus affatim rebus inſtructi: præſsiſſent fame, ſiti, obſidione, in propugnaculis Ciuitatum Suecos: hi quoque fuiſſent patientes animis, & corporibus, contra nimbos, inediam, frigora, tempeſtates, Vrbium ruinas, mea inhil intereſt: illud vnum conſtantiſsimè dico & affirmo, diuino quodam conſilio factũ eſſe, quòd prius rem tantam, certis conditionibus pacis, quàm velitationibus præliorum incertis, experiri voluerint. Nam fuiſſent illi victi, nos victores: at non ſine noſtro magno grauiq́; damno. Reliquiæ enim tanti belli, multos forſan in annos duraſſent. Sed præterea, vt funditus reliquiæ fundi poſſent: at non expediebat, pulcherrimas vrbes, fortiſsima propugnacula, nobiliſſ: Ciuitates, ſpecioſiſsimos vicos, fana, templaq́ue ſanctiſsima, funditus proſterni, & euerti, ſuiſq́ue viduari ornamentis. Quo enim oculo aſpexiſſet Chriſtianus PRVSSIAM, Sarmatiæ ocellum, vectigalium officinam, Poloni orbis delitium, turpiter inter ſua cadauera iacentem?

Quod

Quod cùm viderent Optimatum nequaquam satis pauci, vicinarumq; gentium Oratores grauissimi, quos arbitros consiliorum, Sereniss: REX habuerat, iusto dolore commoti, & excitati, diutius studia sua non presserant. Fœderibus opus esse, clamabant: Validam populi partem, vtilitatis spe consensisse Suecis, innocuam plebem studijs contrarijs rapi, & discindi aiebant: hos denique an seruare præstaret incolumes, an incensos desperatione, in mutuam excire cladem, dubitabant. Iam & ipsi Sueci, qui à Gustauo commissam tenuerant Prussiam, ad meliorem reuocati mentem, pacem tandem poscebant, pacem supplices petebant, orabant.

Meritò quidem apud Te, (attendite Audit. sic deprecatores, Oratoresq; Sueci S. R.M. sunt allocuti) *meritò accusamur, & damnamur repetundarum, apud Te Inuictissime REX, sed ecce agnoscimus erratum, deprecamur culpam, magnanimumq́ istum Tuum, & heroicum animum obtestamur, velis ignoscere supplicibus. Non totum nostrum delictum est, magna pars illius, ad Dominum spectat; sed quem vlciscaris, non habes; vita functus est. Tenuimus Prussiam, tanquam mox migraturi: hospites omnino, non patres familias fuimus, forsan etiam profuimus huic prouinciæ: quia prouidâ manu, colligere vectigalia, ab officiosis nauiculatoribus, tuos istos pigros collectores docuimus. Repete igitur optimo iure à nobis, tanquam iniquis possessoribus, Tuam Prussiam: sed oramus, ita repete, vt benè meritis militibus, quanquam olim contra Te stetissent in acie, breue ad tempus relinquas Liuoniam. Libe-*

ralitatem istam, vel in hoste agnosce iustam, & exemplo ipse Tuo comproba. Fruantur hisce bonis sanguine suo partis, boni milites, Tuum forsan etiam in obsequium parati. Recipies, & quidem cum fœnore, nobis crede, recipies, vicinas etiam ditiones, atq; Regna, quæ Te iure hæreditario concernunt. Non pridem ignouisti Moschis, suscepisti fœdus, cum Othomano, dedisti leges pacis barbaris; Nos qui propemodum Tui sumus, pacem non impetrabimus apud Te benignissimum, clementissimumq; inter orbis Principes Dominum? Noli à Tua natura discedere: perfice hanc in nobis, quam in aliis probasti, diuinæ Clementiæ imitationem: vt fœlix, vt pius, vt gloriosus, in orbe Sarmatico, longissimos in annos regnes. Non semper Fortuna fauet bellatoribus, nonnunquam se se subtrahit ab ipsis victoribus. Scis hac ipsa in PRVSSIA, & ob hãc ipsam PRVSSIAM, dum supplex posceret, à VLADISLAO IAGELLONE pacem Plauenius Crucifer, eaq; consilio quorundam ferocientium, & recenti victoria insolescentium, non concederetur, quàm minus prosperè res cessissent Polonis? Qui nimis elicit sanguinem Medicus, enecat potiùs prægnantibus, quàm corrigit fœtum. Nunquam peccat vlla gens, quæ Pacis conditiones, vel iniquas accipit, sine effusione sanguinis, non modò iustas. Meliorem esse certam pacem, quàm optatam victoriam aiunt Sapientes. Hæc, & plura, submisse admodum Sueci orabant.

Quis non commoueretur precibus, & lachrymis propemodum iusta petentium, quis non condoluisset, si mæstos, sordidatos, reos, de capite, de fortunis, de fama, periclitantes aspexisset? Victus & ipse lachrymis, qui alias armis

vinci non potuit, clementisſimus REX, ſupplicibus ignouit, afflictos erexit, perditos recreauit: PRVSSIAM inuiolatam armis, bono iure recepit, Liuoniam deniq; fortibus militibus ad tempus conceſsit.

At hîc exclamat hircoſus Centurio, optimam vberrimamq; regionem, tot in annos, perduellibus concedi? At ego vicinos eſſe, atq; adeò amicos aio, quos nobis fœdera ſanctiſsima, quos pax deſideratiſsima, tenaciſsimè conſtrinxit, ac conſociauit. Non amittitur, quod conceditur, ad tempus. Neq; illi adeò ingrati, omniq; humanitate erunt deſtituti, qui ſe non ſentiant, clementiſsimi, liberaliſsimiq; Regis gratiâ, tantorum eſſe participes bonorum. Reddent igitur, & quidem cum fœnore reddent, non Liuoniam ſolùm, ſed etiam ſe, ſuoſq; animos, & ipſam deniq; Sueciam in tutellam fauentiſsimi Regis, tanto tamq; pio beneficio obſtricti. Valeant igitur, illæ importunæ voculæ, his conditionibus, diminui gloriam nominis Poloni, nihil in rem, nihil in memoriam, tanto tamq; magnifico apparatu bellico, eſſe confectum, ac comparatum. Satis enim comparatum eſt gloriæ, cùm antiqua illa labes ignominiæ, ſit extincta: ſatis nomini Polono reſtitutum eſt laudis, cùm PRVSSIA ſit reſtituta: quæ multo ſanguine, à maioribus olim noſtris, fuit redempta: ſatis deniq́ue magnifico confectum eſt apparatu, cùm nunquam hunc poſtea, in ſimili reparare negotio erit neceſſe. Quid expectatis amplius Audit. vicimus hoſtes, conſilio; non armis, amicitia; non prælio; pietate, non temeritate; clementia, non pertinacia; vicimus.

Non tractauimus opus periculosæ aleæ, non cruento prælio certauimus, & tamẽ pariter de hostibus, ac de nobilmet ipsis, quod magis est mirabile, triumphamus.

Nolite enim feroces esse admodum mei Poloni, deponite ab animis generosis, istam rigidam vltionem; humanitas vobis cum literis, & sapientia instillata est. An semper vnum tantummodo Martem spirabitis? Consilio magnæ res geruntur, non armis. Erant prudentes, erant fideles, erant eloquentes, qui tantarum rerum momenta, diligentissimè contemplabantur Senatores. Ergo quibusdam tenebrionibus assentiemini, qui bellicosi sunt inter pocula, fortes inter scyphos, inter crateres ingentes, eloquentes? at horum alij nunquam omnino castra viderunt, nunquam in acie hostes aspexerunt, nunquam ne extremo quidem aditu, Martem salutarunt: alij verò, Deum bonum, quàm sunt audaces in pagis, quàm pugnaces in oppidis, quàm in rusticulorum tugurijs excutiendis, generosi. Ignoscite fortissimi milites, qui pietatem, qui diligentiam, qui fidem vestram eximiam, hac expeditione, erga Patriam, satis gloriosè probastis; non enim vos vllum meum iniuriosiùs percellit verbum: sed illos vrgeo, illis irascor vehementer, quos glocitatio gallinarum, balatus ouium, boatus vaccarum, à castris ad rapinas, ab acie ad prædas, ab exercitu ad miserrimorum hominum iniquissimas lacerationes, abduxit, & auocauit. Non enim tramite recto in castra properarunt, sed per vicos remotissimos, villas disiunctissimas, oppida egentissima, rapinisq; exhausta (quod de impijs Diuinus vates profert) in circuitu ambularunt. Qua-

Quam multis passibus isti distant, non solùm à maiorum nostrorum, sancta illa seueraq; disciplina, quâ imperium hoc florentissimum reddiderunt: sed etiam ab ipsa, Ethnicorum militia, quæ tanta fuit, vt etiam fidem legentium excedat, quis non videt? Illam temperantiam militum, illam priscam seueritatem, illas rigidas leges, in libris hodie tantùm, non in hominibus cernimus: qui luxum, rapinas, lacerationes agrestium, omnem heluandi licentiam, in nostris militibus deflemus. Crateres ingentes, summa cum alacritate exhauriunt; hostes in acie, cum pauore obstupescunt. Tum illis in mentē, & memoriam, illa redit trepidatio, quam ob vetustum merum, & opressionem pauperū, contraxerunt: quo fit vt non forti dextera, sed fugacibus poplitibus Martem exerceant. O sanctam illam legem militarem, quam in Aureliano notauit Vopiscus. *Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nullus deterat, oleum, sal, lignum, nemo exigat: annona suâ contentus sit.* At nunc nonnemo istorum fortissimorum militum, ieiunum militiæ nomen iactat, qui perdidit virtutem. Sacramento se militiæ obstrinxit, vt excutiat colonos, non hostes. Et quod maximè execrandum est, non ante militiam solùm, in ipso progressu, istas colligit præbitiones, sed etiam dimisso exercitu, nullo confecto prælio, caudatas cohortes, per pagos, & oppida circumducit: vt gloriosiùs inter egentissimos agricolas, triumphet. Itaque magnifici bibones, labores suos, inter imbellem plebeculam exaggerant, enumerant sumptus, augent merita, ad admirationem; vt rapinis iniquissimis, illas suas redimant expeditiones. Ignoscite dolori meo Audit. si paululum deflexi, si in miserrimorum hominum commemorandis iniurijs hæsi. Neq; enim iustior dolor vllius esse potest, quàm hic meus, susceptus ex hominum egentissimorum damnis: neq; iracundia magis vlla laudanda, quàm ea, quæ hominum afflictissimorum, qui se ipsi ab iniurijs vindicare non possunt, innocentiam defendit.

Quare vt eo vnde profluxit, redeat oratio mea, mittite hunc interea dolorem Aud. & potiùs deprędicate mecum, tantam S.R.M.

 fælicita-

fælicitatem, laudate iuſtitiam, admiramini æquitatem, prudentiam, fortitudinem, animi magnitudinem, clementiam, ſummis laudibus celebrate: eam verò pacem, quæ ſapientiſsimis cõſilijs ſtabilita eſt, ad omnem poſteritatis gloriam, & admirationem propagate, Quid enim eſt tam populare, quàm pax? (ait Suadæ medulla Tullius) qua non modò ij, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta, atque agri, mihi lætari videntur? Quid tam populare, quàm libertas, quam non ſolùm ab hominibus, verùm etiam à beſtijs expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis? Quid tam populare, quàm otium, quod ita iucundum eſt, vt & vos, & maiores veſtri, & fortiſsimus quiſq; vir, maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando, in otio poſsit eſſe, præſertim in imperio, ac dignitate: qui idcirco etiam maioribus noſtris, pręcipuam laudem, gratiamq́; debemus, quod eorũ labore ſit factum, vt omnino in otio eſſe poſſemus. Quare quî poſſumus huic non fauere Paci? cùm videamus, tanta bona, ab ea tanquam ex fonte promanare. Libertatem propriam, generis, ac nominis noſtri gloriam, otium domeſticum, vectigalia integra, deniq́; omnia, quę nobis chara atq; ampla ſunt, in fidem, ac poſſeſsionem noſtrorum populorum eſſe recepta, ac recuperata

Quid de noſtris hiſce ſtudijs dicam? nonne refloreſcent, præſentiſsimo Sereniſſ. ſapientiſsimiq́; Regis aduentu, & aſpectu, ad omnem lætitiam, & alacritatem? Nonne ſe mutuò nobiliſsima ingenia, ad honeſtam æmulationẽ, doctis magnisq́; laboribus, concitabunt? Si enim hæ ipſæ imagines, quas noſtro nobis in conſpectu collocamus, incredibiliter

nos recreant, & exhilarant, sola commemoratione virtutũ maximarum S.R.M. quid fiet, cum præsentem intuebimur? quo tum studio accendemur? quâ lætitiâ efferemur? qua commouebimur exultatione? quibus vocibus, & acclamationibus, vitam longissimam, omnemq; prosperitatem, nostro vindici, nostro liberatori, nostro assertori optimo, sapientissimoq; comprecabimur? Hic Patriæ patrem fælicissimum, salutabit Sereniss. VLADISLAVM, ille libertatis Academicæ propugnatorem sapientiss. alius publicæ pacis authorem vigilantiss. alius insuper Orthodoxæ Religionis custodem, ac reparatorem fidelissimum laudabit, depredicabit: nec quisquam in illius laudibus, ac virtutibus commemorandis, conticescet.

Ergo tibi DEO nostro, tantæ Pacis, authori & reparatori, pio, sancto, immortali, gratias agimus immortales, teq; oramus, & obsecramus, vt tanti boni sis ipse conseruator. Inspira dissentientibus animis, si adhuc dissentiunt (tu enim corda scrutaris hominum) si discrepant, si forsan aliqua moliuntur mala, si struunt insidias, sanctam & inuiolatam Concordiam: dissidentes à vera Religione, tuæ pietatis illustra lumine. Sit vna fides, vna veraq; Catholica colatur vbique, ac promoueatur Religio: sicut tu es vnus, æternus, immortalisq; DEVS. Regnet ô cælestis Pater, in regnis imperiisq; Christianorum populorum tranquillitas, vigeat pax, floreat sine omni exulceratione, in bonis Ciuibus animorum consociatio. Dignæ sunt animæ, ô Christe Saluator, quas tu pretiosissimo tuo redemisti sanguine, dignæ sunt inquam tua miseratione atque clementia. Reuoca bone Pastor, ad vnum ouile, errantes oues; illumina cæ-

cutientes

cutientes animas, illo lumine, quo illuminas omnem hominem, venientem in hunc mundum. Ponant temeritatem, mittant odia, iurgia, lites, rixas, diſſenſiones reſpuant, & abijciant; a ſuis denique teterrimis erroribus, ipſi tua gratia, reſipiſcant. Agnoſcant Romanum Pontificem, tuum in terris Vicarium, caput fidelium, pietatis ſummum arbitrum, militantis Eccleſiæ, Ducem maximum. Faue mortalibus, benigniſsimo tuo afflatu, ſanctiſsime Spiritus, qui cum Patre, & Filio, vnus es, & æternus, & æqualis Deus, ab vtroq; pariter procedens. Inſpira columbinum candorem mentibus, felle antiqui ſerpentis imbutis: diſsipa triſtes tenebras ab animis, & illis redde gratiſsimam lucem ſanctitatis. Vt ſentiant Iudæi, intelligant Schiſmatici, fateantur Hæretici, percipiant Turcæ, cognoſcant barbari, noſtram ſine diſſenſionibus concordiã: noſtramq; veram, ſanctam, & Orthodoxam Religionem, eſſe viam certiſsimam ſalutis, in hac vita; anchoram ſpei, in periculis: officinã charitatis, in bonis operibus: Symbolũ fidei, in tentatione, & aduerſariorum inſultibus: vt tandem Orbis vniuerſus, ſummo conſenſu, ſummaq; pietate copulatus, te vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum S. & hic in terris religiosè adoret, piè colat, ſanctè veneretur, ac reuereatur; & in cælis laudabilem laudet, & gloriosum benedicat in ſæcula. Cui nos, pro maximis beneficiis, quæ in ſingula momenta percipimus, proq; tantis VLADISLAO regnante bonis perceptis, gratiam, benedictionem, gloriam, damus, & concinnimus ſempiternam.

D I X I.